

ecclesiam s. Dominici cum certis Romanis, etiam pluribusque doctoribus et iurisperitis conclusit, ut ipso die epiphanie Domini, quando S. D. N. missam in ecclesia s. Petri more summorum pontificum celebraret ipseque d. Stephanus de Porcariis miles sua tradimenta et conspiraciones animo male deliberato [executurus] cum mille personis ad predictam ecclesiam accessisset, quidam ex ipsis tempore consecrationis corporis Christi ignem in stabulo pape ac suo palatio imposuissent, quodque tunc omnis homo ad defendendum palacium ipsum bonaque ipsius ecclesiae accessisset, ipseque tunc Stephanus male informatus S. D. N. invasisset cum suis complicitibus cunctosque cardinales et prelatos atque eciam omnes curtesanos manu violenta spoliasset et eos interfecisset et ecclesiasticum statum suppeditasset et destruxisset ipsumque S. D. N. cum certis cardinalibus ac secretariis ipsius S. D. N. pape ferrea catena ac instrumentis ferrei saltem deauratis captivos duxisset donec et quousque ipse dominus noster propria resignasset, omnia castra, fortalicia et fortitudines S. R. E. et specialiter urbem, habitis quoque premissis ipsum S. D. N. ad locum supplicii cum suis tunc captivis vid. in ecclesiam s. Petri duxisset et eundem S. D. N. cum suis [trucidasset] suumque sanguinem sparsisset¹ et turpi morte cum occidisset.

Quodque divina disponente clementia ad aures dicti domini pape pervenit et statim de oportuno remedio providit, cum suis tunc existentibus in curia dictum militem quaeri per totam urbem procuravit atque etiam summam II^m ducatorum super vita istius militis ordinavit. Tandem in profesto epiphanie captus et ad torturas ductus cum diligenti examinatione suosque complices successive accusavit et tandem usque ad fere quinquaginta capti et patibulo suspensi ipseque miles extra castrum s. Angeli suspensus est suaeque sententia litteris grossissimis publice ibidem affixa, quatuor enim doctores pater quoque [et] filius et alii successive de maloribus Romanis pessimis traditoribus, quia praedicta contra eorum pacificum dominum attemptare presumebant, pluresque sunt accusati, qui successive suspenduntur. Conclusionem istius negotii scribere pro presenti non valeo quoniam nondum est finis.

Propter hec et alia papa commotus signare non valet. Etiam dicitur et conclusum est quod S. D. N. papa intendit pergere ad civitatem Bononiensem cum curia sua Romana et mandavit pro armigeris hinc inde per totam Italiam et ultra eos in urbe ponere et locare usque XII^m ad castigandum ipsos Romanos. Percipientes itaque Romani² venerunt ad papam petentes veniam et gratiam S. D. N. qui D. N. respondit: O popule mi quid vis de me et meis curtesanis facere, cum ego semper princeps pacificus fui, qui diligendo vos magis quam meos curtesanos, imo destruendo curiam meam propter vos, quod procul aberit. Non novisti[s] ea quae feceram vobis et insurgere vultis contra dominum Deum tuum. sed imposterum illi soli serviemus.

¹ Cod.: « spargisset ».

² Cod.: « Romani ».